

HOLY SEE PRESS OFFICE  
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE  
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLIS

# BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0577

Sabato 27.11.2004

**LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE SOLENNI CELEBRAZIONI CONCLUSIVE DELL'ANNO DEDICATO AL 150° ANNIVERSARIO DELLA PROCLAMAZIONE DEL DOGMA DELL'IMMACOLATA CONCEZIONE (WASHINGTON, D.C. - U.S.A, 8 DICEMBRE 2004)**

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE SOLENNI CELEBRAZIONI CONCLUSIVE DELL'ANNO DEDICATO AL 150° ANNIVERSARIO DELLA PROCLAMAZIONE DEL DOGMA DELL'IMMACOLATA CONCEZIONE (WASHINGTON, D.C. - U.S.A, 8 DICEMBRE 2004)

In data 23 ottobre 2004, il Papa ha nominato l'Em.mo Card. Jan Pieter Schotte, C.I.C.M., Presidente dell'Ufficio del Lavoro della Sede Apostolica, Suo Inviato Speciale alle solenni celebrazioni conclusive dell'anno dedicato al 150° anniversario della definizione del Dogma dell'Immacolata Concezione, che avranno luogo a Washington, D.C. (Stati Uniti d'America) l'8 dicembre 2004.

La Missione che accompagna l'Em.mo Card. Jan Pieter Schotte è composta da:

- Mons. Michael J. Bransfield, Rettore del Santuario Nazionale dell'Immacolata Concezione a Washington, D.C.;
- P. David M. O'Connell, C.M., Rettore della *Catholic University of America*.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre all'Inviato Speciale:

## • LETTERA DEL SANTO PADRE

Venerabili Fratри Nostro  
IOANNI PETRO S.R.E. Cardinali SCHOTTE, C.I.C.M.  
Praesidi Officii Laboris Apostolicae Sedis

Suavissima inter nomina gloriosae Deiparae indita, illud christiana pietas carissimum sane habet, quo Ipsa *Immaculata Conceptio* appellatur. Nomen profecto summum indicat consilium, quo Deus et dignum habitaculum sibi praeparavit et redemptionis opus sublimiore modo peractum manifestavit; *Immaculata* insuper beatae

Mariae Virginis *Conceptio* Ecclesiae exstat pignus ac perfectionis anticipatio in futuro saeculo consummandae. His verbis enim ipsa beata Virgo Maria Bernardillae Soubirous, illius nomen enixe percontanti, in specu Massabiellensi responsum dedit: «Immaculata Conceptio ego sum».

Cuius sub titulo templa innumera erecta ubique terrarum sunt nec non Deiparam complures nationes patronam sibi delegerunt. Ad hanc rationem Foederatae Civitates Americae Septemtrionalis nimirum eminent, quippe quae mense Maio anno MDCCCXLVI non modo Virginem Mariam quavis labe ab origine intactam suam Patronam elegerint, verum etiam sese Immaculatae Conceptioni primae consecraverint! Huius autem consecrationis quasi consummationem necnon perenne monumentum decretum est nationale sacrarium Vashingtonii exstruendum, quod augustum ac magnificentum hodie attollitur.

Optatus igitur profecto iucundusque ad Nos pervenit nuntius Ecclesiae Vashingtonensis peculiarem Marianum annum celebrantis, quinquagesimo nempe ac centesimo anniversario a definito intaminato Deiparae conceptu die incurrente. Quandoquidem ergo Venerabilis Frater Noster Theodorus Edgardus S.R.E. Cardinalis McCarrick, illius sedis sacrorum Antistes, certiores Nos fecit de sollemni celebratione die VIII proximi Decembris mensis agenda, qua Marianus annus in praedicto nationali sacrario concludetur, eminentem aliquem praesulem illuc mittere libentes statuimus qui personam Nostram gereret. Tu quidem, Venerabilis Frater Noster, ob fidele ministerium pro Apostolica Sede cotidie exercitum peraptus Nobis videris ad hoc munus frugifere obeundum. Hisce iisdem Litteris te ideo renuntiamus **MISSUM EXTRAORDINARIUM** et constituimus, qui Nostra auctoritate ac nomine memoratae praesideas celebritati.

Pergratum tuum erit officium omnes adstantes hortari ut Virgini Immaculatae suam consecrationem renouent et agant; ex quo actu in cotidiana vita deducto Christum Salvatorem nostrum redamare efficacius valebunt necnon pacis et gaudii veri effectores satoresque evadent.

Interea uberum auspicem fructuum paternaeque caritatis Nostrae testem, Apostolicam Benedictionem tum tibi, Venerabilis Frater Noster, tum sollerti Archiepiscopo Metropolitanae Vashingtonensi, nec non cunctis Praesulibus omnibusque, qui Marialibus sollemnibus intererunt, amantissime in Domino impertimus.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXV mensis Octobris, anno Domini MMIV, Pontificatus Nostri septimo ac vicesimo.

IOANNES PAULUS II

[01880-07.02] [Testo originale: Latino]

---